

nem nihilominus audimus conquerentem, quod ratio humana ad res percipiendas non alio sese habeat modo, ac nycticoracis oculus ad intuendum solem, Theologos cernimus passim in Scriptis suis docentes, quam misere post lapsum nostra nunc se habeat *ratio*, ejusque usus, qui in maximos inclinatur errores, quos tristissima confirmatos sistit experientia, ut proinde non nisi imaginaria audiat illa *Rationis* Felicitas, quam tantopere gloriosa Cartesianorum lingua prædicare contendit.

§. X. Accedit *falsus* quoque de Deo conceptus, qui alterius causæ nomine erroris hujus, quem Cartesiani fovent, venire potest. Audent enim disertis dicere verbis: *Deum, si velit, posse fallere*. Vti sic nominatim procedit D. WOLZOGIVS Concionator Cartesianus de Interp. Scrip. §. 24. *Sufficit, inquit, Deum dixisse, ut sciamus Eum fallere nolle, dico nolle Eum fallere, ne credatis, non posse, si velit*. Sed qua pietate, quave Conscientia id faciant Cartesianorum nonnulli, sane ignoro. Hoc interim ceu certum manet, illos hac sua hypothese *revelationis* infallibilitatem satis luxare, neque sic consequenter de Scriptura Sacra sentire, uti tamen eos decet. Certe, stante hac Cartesianorum sententia, fundamentum omnis omnino infallibilitatis, cujuscunque etiam nomine veniat, evertitur. *Si enim* (verba sunt Viri Clarissimi Petri van MASTRICHT, in Theol. Cartes. p. m. 58.) *Deus fallere potest, quid tandem aut que Scriptura erit certa & infallibilis?* quin potius hoc ipso *Rationem*, quam quasi infallibilem propugnant Cartesiani, *revelationi* præferent,